

alicubi subrepens & ad flexuram H delatus, elaterium ibi suum explicare coepit tum versus A tum versus C; indeque factum est, ut column aquæ A H allevanda non suo solius pondere jam resistens externi viribus, sed elatere pauci illius interni adjuta, vietorem ante suum jam vinceret, eoque cedere coacto aliquam sui particulam inferius per A retrò exprimeret, totâ adeò columnâ H A, ad altitudinem paulò minorem K A contractâ, & aëre in flexura H collecto ad K usque se exporrigente. Hac ipsâ verò sui exporrectione & expansione debilitatus, ad æquilibrium cum externo reducebatur, ut mixta hæc ex aqua & aëre column HK A non haberet amplius plus ponderis quam externi aëris solius columnna, ideoque staret aquæ columnna A K, donec nova aëris lentè subrepentis particula ad spatiū aëris expansi KHL sublata, spatiū illud ampliaret, & aquam columnam magis magisque, tametsi tardissimè, deprimeret. Similiter ex altera parte H C, cuius aquæ columnna priori H A anterior ab aëre vasculo C incumbente sustentari prius non poterat, (quippe cui non solum aquæ hujus pondus, sed vis auxiliatrix etiam aëreæ columnæ alterius vasculo A incumbentis obnitezatur) nunc accidere contrarium

M 2




Fig.
20.